

gulatur. Modus autem operis est iste, vt proij-
 cias partem vnam medicine prædictæ super partes
 100. auri fusi, & facit ipsum frangibile, & totū erit
 medicina, cuius vna pars proiecta super 100. cuiuslibet
 metalli fusi conuertit ipsum in aurum optimū. Et si proieceris
 super lunam, simili modo cō-
 uertit omnia corpora in lunam, per eundem mo-
 dum poteris conuertere Solem in Lunam, in Ve-
 nerem, Saturnum, Iouem & Martem.

*Diuersifica-
 tio ticture*

Si autem medicina vel elixir prædictum non ha-
 beret ingressum. Recipe de lapide in prima ope-
 ratione extracto, et Mercurij prædicti ana, & si-
 mul misce & incorpora, in lapide terēdo, et deinde
 balneo distillando, vt melius coniungatur, postea
 desicca, Et si vis, poteris recipere aquam per alem-
 bicum, & hoc toties reiterare imbibendo, incor-
 porando, desiccando, quousq; prædicta medicina
 cum prædicto Mercurio præparato incorpo-
 retur, quo facto pone totum in vrinale habens
 fundum rotundum, & supposito cooperatorio
 reuerberationis, dabis ignem candelæ & cineris
 per gradus suos, vt supra monstratum est. Et
 quando tibi videbitur, adde paulatim de Mer-
 curio prædicto, quousque materia prædicta figa-
 tur, & efficiatur fusibilis plus quam cera. Et
 sic habebis elixir seu lapidem verum philosopho-
 rum completum, qui conuertit Mercurium et om-